



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

334 Quæstio Doctorum non omnino dissimilis de dando vicissim beneficio
alicui tertio non compermutanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

triangulo vel quadrangulo non est. Cui quæ-
stioni priusquam respondeamus, & vt com-
modiùs respondeamus, opere precium fuerit
premittere quæstionem non omnino dissimi-
lem à veteribus nostris Interpretibus tracta-
tam, quid si nimirum sic beneficia permute-
mus vt meū beneficiū tu accipias, tuum verò
beneficium non ego vicissim recipiam, sed ali-
quis tertius, nepos fortè quispiam vel amicus
meus omni beneficio destitutus vel qui alio-
qui vicissim nullum beneficium reddat? Ac re-
spondit quidem Ioan. Andreae ad c. vnic. de
rer. permutat. in 6. num. 2. talem permutatio-
nem fore Simoniacam nec ad Bonifacianam
pertinere. quod idem secutus est Petrus An-
charanus in d. c. vnic. de rer. permutat. in 6.
notabili suo 3. propter masculam hanc ratio-
nem quòd ipsismet inter se permutantibus &
non aliis beneficia propter permutationē re-
signata conferri debeant. Senensis item tribus
verbis in ipsomet sine sui tractatus de permut.
Ioannem Andreae laudat huius opinionis au-
thorem; non esse videlicet permutationem, si
meum beneficium resigno vt illud habeas tu,
atque tuum detur meo nepoti, nec mirū sanè;
quia nihil hinc inde proficiscitur à dante ad
accipientem, sed tertio cuidam datur qui per-
mutationis ipsius prætenſæ nullo modo fuit
vel author vel pars contrahens. Verùm quæ-
stio nostra seu casus noster ponit omnes hos
tres inter se contrahentes, & aliud beneficium
pro suo accipientes quidem, sed nō hinc inde,
m ij hoc est,

334
Quæstio Do-
ctorum non
omnino dissi-
milis de dan-
do vicissim
beneficio ali-
cui tertio non
comperran-
tanti.

hoc est, ab eodem cui quisque suum cessit. Quidnam dicemus? Equidem non video quâ possit vlla isthic agnosci permutatio, cum nulla sit inter ipsosmet accipientes atque dantes mutua seu reciproca seu hinc inde datio, sine qua permutatio nomen suum tueri nequit; vt apertissimè liquet ex omnibus & singulis tum legibus tum capitulis totius tituli Pandectarum & Codicis & Decretaliû & Sexti & Clementinarum de rer. permutat. Quamobrem cum omnes pactiones beneficiales extra causam canonicæ permutationis proculdubio sint prohibitæ tanquam simoniacæ, c. vlt. de pact. & c. super eo. de transf. & ibi post Glossographum plerique DD. nostri, iuncto c. ex parte N. cum gloss. 2. de offic. & potest. iud. delegat. consequens est vt isti seu trianguli seu quadranguli Simoniacos efficiant & includat ac inuoluant. accipitur enim per tales permutationes triangulares vel quadrangulares beneficium nouum, non ex causa veræ permutationis, at pro mera gratificatione proque meritis officiis hinc inde præstandis, quasi mulis mutuam scabentibus, cum tamen obscurum non sit, Simoniam non minus committi per interuentionem vel obsequiorum vel officiorum vel pactionum quarumlibet etiam pecuniis non æstimabilium, quàm per interuentionem pecuniarum: qua de re luculenter Nauarrus in suo Manuali Confessoriorum cap. 23. num. 100. illatione 2. vers. posterioris generis. ratione simul hac reddita, quòd in his & similibus

335
 Simoniâ posse
 se committi
 etiam sine pecuniarum vel
 rerum pecuniis æstimabilium interuentione; &
 quidem spiritualibus
 datis pro spiritualibus.